



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Peccatum præsumptionis grauißimum est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

tum est, utpote contra rectam rationem. Et quia facultas quandoque consistit in scientia (ut medicina, & in cura animarum, & vniuersaliter in artibus) præsumptio est ignorantem medicinam velle medicare corpore, & nescium sacrarum literarum velle medicare animas, sicut in cæteris artibus accidit, ignorantibus similis præsumptio. Quandoque verò consistit in potestate ordinis vel iurisdictionis: & sic præsumptio est diaconum velle dicere Missam: aut non iudicem velle iudicare, aut laicum iudicem velle iudicare clericos. Quandoque autem consistit in habitibus virtutum, seu dispositionibus earundem. Et si præsumptio est in peccato communicare, aut incipientem velle facere ea quæ sunt præfectorum, ut quotidie celebrare, arguere alios, conuersari securè cum mulieribus, velle vacare assidue contemplationi, non dormitus adhuc passionibus, & similia. Est autem peccatum præsumptionis quandoque veniale, quum scilicet nulli est perniciose seu iniuriosa. Et quandoque mortale, quum scilicet iniuriosa est alteri: qualis est præsumptio medici in damnum corporis: & similiter præsumptio confessoris ignorantis, & iudicis, & similibus.

Peccatum præsumptionis grauissimum est.

Præsumptio rursus qua homo sperat aliquid posse consequi à Deo, quod impossibile est secundum diuinam legem ab illo consequi, peccatum est contrarium secundæ virtuti Theologicæ, quæ vocatur Spes & contrarium desperationi: ut quum quis speret consequi peccatorum veniam sine poenitentia, aut æternam gloriam sine meritis. Et hoc est peccatum mortale: utpote derogans diuinæ dispositioni, qua decretum est non dari veniam perseverantibus in peccato, nec gloriam sine merito. Et est vnum de peccatis

Prodigalitas. 465

in spiritum sanctum: utpote contemnens spiritum sanctum
& auxiliium ad poenitendum & merendum.

Officium proprium corrumpens, prauaricator est iustitiae.

Prauaricatio (qua homo à debito officio seu certamine variat ad oppositum fouendum ut actor ad fouendū reum, aut econtrario, & sic in similibus) peccatum est: quia contra rectam rationem. Et si in iudicio iusto hoc fiat, aut aliàs in praiudium diuini vel communis boni, aut cuiusque proximi, peccatum est mortale: quia iniustitia ipsa peccatum est mortale ex suo genere. Seclusa autem omni iniuria, pensanda est ratio declinandi: & secundum illam iudicanda est prauaricatio an sit mortalis.

Procuratorum crimina, vide superius in verbo, aduocatus.

Res proprias superfluè dissipans & prodigaliter consumens viam ambulat perditionis.

Prodigalitas (qua homo superfluè erogat res suas) peccatum est, utpote liberalitatis virtuti contraria. Non autem mortale peccatum, si pura est: quia minus peccatum est, quàm auaritia liberalitati contraria: quæ si pura est, constat non esse mortalem. Et vtriusque ratio est: quia neutra agit contra charitatem Dei aut proximi, sed præter illam.

Si verò mixta est iniuriæ diuinorum præceptorum, & breuiter cuiusque alteri vitio (puta impietatis filiorum aut filiarū, aut intemperantiæ: ut filius prodigus dissipauit substantiam suam cum meretricibus) iudicanda est iuxta qualitatem vitii cui admiscetur: ita quòd prodigus agitur ad appetitu mortali, prodigalitas & ipsa mortalis est: ut patet de filio prodigi.

F f 4 go,